



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XVI. De jure patronatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](#)

hæ duæ provinciæ vocantur *terre obedientia*. In reliqua Francia, ad quam *concordatum* propriæ pertinet, jus *præventionis* inter Papam & ordinarium & a momento vacantiæ obtinet, ita ut provisiones priores posterioribus dergent stentque: quod moribus magis, quam lege aliqua, invaluit.

1) *Reg. 9.* 2) *Conf. ord. l. I. tit. II. §. 12.*

nisi bene-  
ficium  
vacet in  
curia Ro-  
mana.

**IX. C O N C I L I U M** Basileense <sup>1</sup> excep-  
perat reservationes in *corpore juris* expressas,  
quas usus restrinxit ad *vacantiam in curia*:  
quod jam Innocentii III. temporibus observa-  
tum legimus <sup>2</sup>. Papa igitur beneficia, quo-  
rum titulares vel in curia, vel duorum die-  
rum itinere a curia decedunt, solus confert <sup>3</sup>.  
Idem jus cardinali legato a latere & vicelegato  
Avenionensi <sup>4</sup>, ita ut in ista legatione tres  
concurrant collatores, ordinarius, legatus &  
Papa, inter quos jus *præventionis* obtinet.

- 1) *Seff. 12. decret. de elect.* 2) *C. 23 X de accus.*  
3) *C. 2. X. de præb in 6. extravag. ad regim. & execr.*  
4) *C. I. de off. leg. in 6.*



## C A P. XVI. DE JURE PATRONATUS.

### I.

Nomina-  
tio vel est  
ex jure  
commu-  
ni, velex  
privile-  
gio. **C O L L A T O R** sæpe in conferendo beneficio  
adstringitur ad nominationem alterius;  
quod ubi fit, provisio, non *collatio* audit, sed  
*institutio*. Jus nominandi vel præsentandi vel  
ex jure communi descendit, ut *patronatus*; vel

ex privilegio, ut nominationes gradum & indulatum habentium, item nominationes regis Francorum aliorumque principum.

II. JUS patronatus præcipue locum Juris  
comnu-  
nis est jus  
patrona-  
tus.  
Hujus  
origo. habet in parochiis ruralibus, facellis & minorum collegiarum præbendis. Pleraque enim hujus generis beneficia originem debent oratoriis, quæ magnates & alii opulentii homines in prædiis suis in usum domesticorum & vasallorum suorum exstruxere. Quibus Episcopus unum vel plures submisit clericos, qui sacrum facerent, quive a dominis expetebantur, ne quos alere tenerentur, qui iis disiplicerent<sup>1</sup>. Postea quum essent Episcopi, qui hunc morem contemnerent, & domini, qui jure suo abuterentur, & Ecclesiam in servitatem redigere tentarent; canonum auxilio opus fuit<sup>2</sup>.

1) THOMASS. *disc. part. I. l. 2. c. 7.*

2) *Concil. Aurel. 4. c. 7. I. Tolet. 4. c. 2. Wormat. c. 49. C. 4. X. de jur. patr. Conc. Trid. sess. 25. c. 9.*

III. PATRONUS est, qui Ecclesiam quis sit  
patronus fundavit vel dotavit; quod idoneis documentis, aut quadragenaria possessione, tribus præsentationibus roborata, probandum. Jus patronatus transit ad hæredes & quoscunque successores, quippe prædiis affixum<sup>1</sup>. Si præmium est ecclesiasticum, patronatus est ecclesiasticus; si profanum, laicus, licet per accidens clericus eum possideat, veluti patrimonii partem. Sequitur alienationem prædii, cuius accessorium est; sed separatim vendi nequit, quippe jus spirituale<sup>2</sup>. Est indi-

visibile nec inter plures heredes spargendum: sed heredes aut conjunctim aut alternativam nominant, quorum suffragia si discrepant, præferendus est a pluribus nominatus, vel pluribus excellens dotibus<sup>3</sup>. Suffragia autem per stirpes feruntur; non per capita. Hoc exercet, qui prædium possidet, licet dominium in lite versetur<sup>4</sup>.

1) C. 7. X. de jur. patr. 2) C. 16. eod.

3) C. 3. eod. 4) C. 7. c. 19. eod.

quis &  
quando  
sit nomi-  
nandus?


IV. PATRONO laico IV. menses indulgentur ad nominandum<sup>1</sup>. Sed in Normannia aliisque provinciis VI.<sup>2</sup> Ecclesiastico ubique VI. qui tamen variare nequit, suoque jure defunctus est, si unum præsentavit, licet ab ordinario indignus reputetur; quia in patrone ecclesiastico præsumitur canonum peritia<sup>3</sup>. In laico ignorantia excusat, qui si præsentavit indignum, alium, immo duos præsentare conjunctim & ordinario electionem permittere potest<sup>4</sup>. Nec in Francia Papa laicum prævenire, nec ordinarius laico invitato personas præsentatas permutare potest, quia hoc ipso per indirectum laderetur dominium prædii, cuius accessorum patronatus est. His commodis ecclesiasticus patronus haud fruitur. Si patronus intra tempus præstitutum non nominat, jure suo pro eo tempore excidit, quod ad ordinarium devolvitur. Patronus, etiamsi clericus, quantumcumque idoneus, semetipsum præsentare non potest, filium potest<sup>5</sup>.

1) C. un. de jur. patr. in 6. 2) Consuet. Norm. art. 70.

3) C. 24. X. de jur. patr. 4) C. 29. eod. 5) C. 26. eod.

V. PATRONUS habet jus protegendi Ecclesiam, invigilatque commodis ejus<sup>1</sup>. Ecclesiasticus rationes ab administratoribus exigere potest: laicus vero episcopum monet, si bonorum dilapidatio metuitur. Habet etiam honores præcipuos, ut primus sit in processione, primus sufficiatur, aqua benedicta adspergatur, ad eucharistiam accedit, & si ad inopiam vergit, ab Ecclesia illi *modeste* succurratur<sup>2</sup>. Jus Patronatus, ut ceteræ servitutes, amittitur *interitu rei*, cui inhæret, si Ecclesia forte excisa, si beneficium extinctum; *renunciatione* vel cessione Ecclesiæ facta; *non-usu*, si ordinarius est in possessione libere conferendi: *crimine*, quod in re feudali *felonia* audiret, ut, si parochum occidisset<sup>3</sup>; *heresi*, quæ est crimen læsæ majestatis divinæ. Sed hæc quidem exercitium tantum suspendit in patrono laico, quod ipse vel heredes ejus recuperant, simulatque cum Ecclesia catholica in gratiam redeunt.

- 1) C. 16. q. 7. c. 31. 2) C. 25. X. eod. 16. q. 7. c. 30.  
3) C. 12. X. de pœn.



### C A P . X V I I .

#### DE HIS, QUI LAUREA ACADEMICA SUNT INSIGNITI.

##### I.

**J**US horum hominum nititur decretis *conci-*  
*lui Basileensis*. Doctores Parisienses atque  
aliorum academiarum magistri, qui utilissimam  
Ecclesiæ in componendo schismate Avenionen-  
si operam navaverant, summa in conciliis ea

Gradus.  
tis ob sin-  
gularia  
merita